fidelium corda dominus aut ignoret aut spernat. qui uiliora cognoscat.
Fortasse dicat aliquis: quomodo apostolus dixit: numquid de bubus cura est deo? cum utique
bos passere pretiosior sit. Sed aliud est cura, aliud scientia. Denique nu
merus capillorum non in actu computationis, sed in facilitate cognitionis
accipitur. Non enim sollicitudinem deus curae numerantis intendit excu
biarum, sed cui cognita sunt omnia, quasi numerata sunt omnia. Bene tamen nume
rati dicuntur, quia illa que uolumus seruare numeramus. Possumus tamen hic
discutere aliquid intellegentiae spiritalis archanum, praesertim cum hoc
uideatur absurdum, ut homines potius hominibus quam passeribus comparentur.
Videntur enim quinque passeres isti, quinque esse corporis sensus: tactus. odoratus.
gustus. uisus. auditus, qui more passerum si trenarum sordium rimentur illu
uiem atque ex incultis locis et fetidis cibum querant, delictorum suorum la
queis occupati, ad superiorum operum fructus quibus epulantur animi re
uolare non possint. Est enim lenocinantis quidam laqueus uoluptatis, qui
nostrorum uestigiis animorum quaedam uincula subnectat, ut si igneum uigorem
puritatemque naturae terrenae materiae sensus ebetauerit, luxuriae pre
tio se laris addictum, sub quadam uitiorum auctione constituat. Sunt enim quaedam no
strorum nundinae delictorum. Itaque uariarum capti illecebris uoluptatum,
aut uenundamur sub peccato, aut redimimur a peccato. Christus nos re
dimit, aduersarius uendit. Ille auctionatur ad mortem, hic redimit
ad salutem. Unde bene Matheus duos passeres posuit, corpus animamque
significans, quoniam caro quoque si consentiens dei legi, et exuens se lege pec
cati in naturam animae sensuum puritate transierit, aliis ad caelum spiritali
bus eleuatur. Itaque docemur quia uolandi nobis gratiam natura dedit, uolu
ptas abstulit, que malorum escis grauat animam, atque in naturam corporeae
molis inclinat. Merito quoque posuit quia nemo illorum cadit sine uolun
tate dei. Quod enim cadit, uergit in terram, et quod uolat, fastigio immorta
litatis euehitur. Ne cui autem dubium esset quod Matheus dixit, Lucas eunden
ter absoluit quia uoluntas dei cognitio est. Non enim quisque uoluntate dei
cadit, sed qui delictorum suorum mole ruerit, deum latere non poterit. Nam quia